B. N. C.
FIRENZE
1146
11

1146. 11

Digitized by Google

11bis
11 c.

c 6 1146.11

udatio
HANNIS
TISTAE
ORENTINI.

AD FVNEBREM CONCIONEM habita: In Templo ſancti Spiritus Florentiæ.

IN EXEQVIIS R. P. MAGISTRI Adamantij.

IOANNII FLORENTINI,
Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini.



FLORENTIAE MDLXXXI.

BIBLIOTECA NAZIONALE 1872

LISSIM OTIVS
NIANI ANTISTITI
DEO GVIDEL O PER

Salutem in Domino ſempiter
Ioannnes Baptiſta Flore.

OMnia charitatis offici... unge ter ſancteq: ſeruanda (... iſſime pre ſes), & nō debent aliqua familiaritate coniuncti ſolum dum viuunt, ſiue a proſpera extollantur, ſeu ab aduerſa deiiciantur fortuna mutuo ſe diligere, verum etiam poſtquam vitam cum morte commutauerint, ſuperſtitum eſt, gloriæ atque honoris defunctorum rationem habere. Quamobrem cum patriæ nexu, contubernii neceſſitudine, animi cōſenſu, religionis inſtituto. ſcientiarū ſtudio, & linguarum pia eruditione, ab ipſo ineuntis ætatis initio fuerim egregio viro Reu. inquam Patri Magiſtro Adamantio Florentino coniunctus nullum unquam pietatis officium prætermiſi, quo minus illi morem gererem iuxta mearum virium facultatem. Quantum autem me ille dilexerit ex ſuis commendationibus optime amplitudo tua cognouit. Vnde magnitudinis meritorum ſuorum erga me non immemor, cum eius funeri Florentiæ iuſta perſoluerentur, vt mærentes eius interitu fratres atq: affines ſolarer, oratione funebri eius breuiter

ad

b

ſta recenſui, quibus & illud
, quod religionis apprime cul-
buium, & acerram obtulit ſan-
quo chriſtianæ fidei elementa di
um franciſcanæ familiæ decla-
matore ... ciſcum Panicarolam in græcis, &
hæbraicis litteris erudiuit. Quæ ideo fortaſſe à me præ
termiſſa fuere, quod mihi mærore ingenti confecto
gemitus ita oriebatur, vt mentis inops potiusquam
compos viderer. Hanc itaq́ laudationem tuæ am-
plitudini cenſui eſſe dicandam, ſperans piam eius
recordationem tibi gratiſſimam perpetuo fore, cum
ipſum tanquam optimus pater vnice ſemper dilexe
ris Vale. Florentiæ ſexto idus Martii. 1581.

FVNEBRIS
HABITA FLO
IN EXEQVIIS
P. MAGISTRI AD.
IOANNII FLORE
tertio calendas Februarii

MDLXXXI.

ANTE conſpectum veſtrum nunc (Optimi Patres) aſſiſto vt dolorem ingentem, quem ex obitu Reu.P.Mag. Adamantij Ioannii accepiſtis animo veſtro depellam, aut ſaltem aliqua ratione diminuam :

Sed cum lachrymas vix valeam continere, à quo vis alio potius quam à me ipſo conſolationis aliquid eſſet ſperandum, Arctiſſimo enim cum illo neceſſitudinis vinculo eram coniunctus, vt cuilibet veſtrum eſt notum, ob indiſſolubilem vitę ſocietatem.

Locorum ſiquidem tantum interuallo non animorum diſſidio eramus quandoq; diſiuncti.

Locuturus igitur, ex veteri maiorum noſtrorum inſtituto de iſtius eximij patris laudibus vehementer commoueor, animoq; conturbor, cum nullam eloquentiam ipſius meritis parem in me poſſe reperiri exiſtimem.

Sed cum omnibns vobis exploratum ſit, illum inter cæteros noſtri ordinis Patres ſummis virtutibus floruiſſe, difficile, atq; arduum puto ſummam vitæ illius probitatem morumq; honeſtatem, ac rerum omnium exactiſſimam cognitionem, perfectamq; ſcientiam exequare dicendo.

Cum enim multa dixero, quamplurima quoq; ſupererunt enarranda.

Illis itaq; animi dotibus eum ornatum fuiſſe oſtendam, quibus dum viueret alios laudandos eſſe cenſebat,

Sed ignoſcite quæſo (præclariſſimi auditores) lachrymis abruor

ore cu. lore nimio premor ex quo vna cũ Iob dicere nunc mihi licet, te ... animam meam vitæ meæ, effundam contra me eloquium meum, loquar in amaritudine animę meæ, cum nequeam vos lachrymis affari obortis.

Inuocabo igitur ſancti Spiritus conſolatorium numen, vt ingenium à me repellat doloris acerbitatem, ac mihi adeſſe ſua benignitate, & ſemper, & nunc potiſſimum velit, & ſane illis carminibus, quę ab ipſo non modo compoſita, verum etiam pulcherrimis typis in æde conſeſſui patrum dicata conſcripta fuere, quibus oſtenditur quid nam ſit à Deo Optimo maximo in qualibet calamitate petendum ſic dicens.

Noſtra vt amore Dei frigentia corda caleſcant.
Sparge in nos radios Spiritus alme tuos.

Patriæ claritatem ſolent nonũquã; adducere, qui funebri oratione laudandum aliquem eſſe cenſent. Gentis nobilitatem in laudationibus ſuis pleriq; conſiderant, cum alicuius funeri iuſta ſoluuntur. Parentum dignitatem, atq; ſplendorem plerunq; oſtendunt, qui ſunt verba facturi, cum agnati, atq; amici conueniunt ad exequias alicuius egregij viri cohoneſtãdas.

Sed ego tanti facienda hęc omnia eſſe arbitror, quanti habita ſunt à mundi totius opifice, ac redemptore, qui cum deus eſſet, ac Dei filius vniuerſiq; Dominus humili ſanè, & obſcuro potius, quam celebri loco naſci voluit, ſi patriam, & in preſepibus ſiquis ortũ conſideret. Egregius autem hic vir, cuius funus (Patres ampliſſimi) celebratis. Florentiæ natus eſt, quæ florida Vrbs florenti floret adeo flore, vt non modo Italiæ, verum etiã totius orbis terrarum flos poſſit rite vocari, & ex nobiliſſima Ioannium Familia, quam nobiliorem procul dubio reliquiſſet, ni ſi immatura morte pręuentus occubuiſſet.

Erat enim Gregorio XIII. Pontifici maximo (quem honoris cauſa nomino) gratus, reliquisq; omnibus chriſtianæ religionis proceribus, quos frequentiſſime cum illorum Romę agerentur couuentus adibat, qui eum dignitate aliqua decorãdum eſſe decreuerãt, mox vbi ad exitum perduxiſſet quamplurima congeſta volumina, quibus menda innumera fere perfidorum Iudeorum veritati ſanctarum ſcripturarum obſiſtentia, & repugnantia erant radicitus euellenda.

Paren-

Parentes autem eius, atq; affin[illegible]nt, quo-
rum ciuium cedere debent, vt [illegible]te, qui omni dignitatis cu-
iuſlibet munere in ſua patria functi clariſſimi extiterunt, cum il-
lis quoq; ſicut, & aliis ciuibus publica negocia credita fuerint, quibus florentinę Vrbis adminiſtratio regitur, & conſeruatur.

Sed iſtę patriæ, generis, & agnatorum laudes omnib[illegible] ciuibus ſunt communes. illæ autem ſolidiores, & præſtantior[illegible] mihi eſſe videntur, quæ virtutibus propriis acquiruntur, quibus Magiſter Adamantius ita ſtuduit abūdare, vt cum nemini quicquam deberet, omnibus tamen eſſet ſumma benignitate ſemper deuinctus, & ita alios illuſtrabat ſuis virtutibus, vt nihil ſibi ſplendoris, charitatisq; deeſſet.

Miſſa igitur iſt hęc faciens, quæ ſemper ipſe contempſit, illa tantum explicabo vera animi bona, atq; diuina, quę ſemper illum optimis viris amabilem atq; admirabilem reddiderunt.

Qua in re illud primo dicendum occurrit, quod ipſius genitor iuxta Platonis præceptum Adamantis illi indidit nomen, quod varia flexionum nomenclatione mirificam ſignificationem ipſius virtutum pręſeferebat.

Infantem illum adhuc conſanguinei, & pueri tanquam blandientes mantinum diminutiuo nomine vocitabant, qua voce vatem eum inſignem mente ſua futurum præſagiebāt. Id enim græce mantinus denotare videtur.

Cunq; pueritiæ limen eſſet ingreſſus, & Auguſtinianæ religionis habitum ſuſcepiſſet Dei amantem ipſum fore indicabamus materna lingua ipſum eiuſcemodi vocabulo nominantes.

Cum autem adoleuiſſet Adamas vocabatur, eo quod in mente ipſius tanquam Adamantis ſtylo indelebiliter exarata videretur, tam græcæ, quam latinę linguę notitia.

Ad virilem poſtea cum perueniſſet ætatem Adamantius à cūctis eſt appellatus, quoniam græci ſermonis vbertatem ita cum latino eloquio habebat coniunctam, vt vtraq; lingua non modo loqui, verum etiam ſi libuiſſet faciliime eloqui, ac diſertiſſime potuiſſet, vnde græcum nomen latina inflexione prolatum ipſius ſcientiam non mediocrem, neq; vulgarem eſſe penitus indicabat.

Hęc de ipſius nomine ideo profari volui (Auditores omni

vir-

nere orn[illegible] cum huius viri interitu animos
[illegible] ſauctios eſſe co[illegible] remedium aliquod leuiſſimum potiusq; nullum veſtris piis mentibus adhiberem.

Accedo itaq; ad eius inclyta geſta non quidem narrãda (nam difficile mihi eſſet orationis exitum inuenire) ſed tantummodo proponenda, vt luctui veſtro finem imponatis ſciẽtes quod viuit Deo, qui mortuus eſt mundo, quod ob ſingularem vitæ integritatem facile poteſt oſtendi.

In ipſo nanq; ineutis ętatis initio diuino ſancti ſpiritus lumine illuſtratus, & ſummæ deitatis electione vocatus ad has regias iſtius Auguſtiſſimi templi ædes ſuo nomini dedicatas, & propria (vt aiebat) & patris voluntate ſe contulit, in quibus ita fuit educatus, & altus, vt iter illud arripuerit, quod ad cęleſtem patriam tutius eſſe proſpexit.

Satis enim ſuperq; humanioribus literis eruditus, cum latinę linguę notitiam optimè percepiſſet, græcarum quoq; literarum diſciplinam deinde cupiebat, cuius rudimentis perceptis tam breui ita profecit, vt longę perfectiori, quam præceptorum ſuorum doctrina Petri Victorij poſtea eruditus cura maiorum ſuorum græcos autores nullo negocio, ſicut, & latinos perfectiſſime intelligeret.

Nondum enim ex ephæbis exceſſerat cum ſummus ordinis Auguſtiniani Antiſtes Hyeronimus Seripandus, ipſum orantem cum ingenti admiratione, atq; animi voluptate audiuit cũ florentiam ſe inviſendæ religionis cauſa contuliſſet.

Cum autem decimum octauum ætatis attigiſſet annum iuxta ueterem noſtri ordinis conſuetudinem dedit nomen in eremitarum Diui Patris Auguſtini religionem, in qua tanquam in fertili agro, ac diligenter ſolertia maiorum exculto, ita vixit, vt omnibus tanquam exemplar virtutum omnium adipiſcendarum poſſit proponi.

Nam erga maiores humilis, ęqualibus comis, inferioribus mitis, & omnibus ob ſingularem humanitatem gratiſſimus ſemper extitit, Pietate inſignis, diuinę legis pręceptis ac monitis cordis puritate obtemperans, nemini vnquam auerſus, nunquam præponens ſe aliis, nulli inurius, nullo vnquam probro notandus, & tandem erat ea morum grauitate ornatus

natus, vt verè dici de illo poſſi[illegible] mo ſine q[illegible]
omnes vitabat, nullis volupt[illegible] [illegible]bris capiebatu[illegible]
ideo nunc à me referuntur, vt [illegible]iſius exemplo iuniores edificant
Deum timere, & ſibi quo ad poſſunt cauere ab omni labe pecca
ti, æquales autem hunc ſibi ſocium, atq; amicum fuiſſe læten-
tur quem maiores etiam mirificè venerabantur, ac diligebant.

Eam ſiquidem beatitudinis partem obtinuit, quam inclytus Dauid, ac regius vates cunctis mortalibus aſſequẽdam propoſuit dicens eos eſſe beatos, qui in lege domini meditantur die, ac nocte.

Cum enim Grammaticæ, Poeticæ, & Rethorice artis ſcientiã optimè percepiſſet, Patauium ſe grauiorum ſtudiorvm cauſa contulit, qua in vrbe Dialecticæ & Philoſophiæ, tam morali quam naturali ita incubuit, vt quælibet naturę arcana nullo præcęptore poſſet à ſe ipſo rimari.

Verum cum facillima ſibi hæc omnia viderentur animum ad linguę ſanctæ doctrinam percipiendam adiecit, ſicq; Britãnum quendam, ſeu Anglum nactus eſt, hominem non medriocriter eruditum, qui cum hetruſcę linguæ perdiſcendæ auidiſſimus eſſet cum illo iſta pactione conuenit, vt illi fabulas Boccacij.(nõ enim fuerat eo tempore alicui interdictum quo minus talia legerentur) interpretaretur latino inquam eloquio, cum eſſet penitus ille, Anglus italicæ linguæ ignarus & vice verſa hebraicam linguam erat ab eodem iſte docendus.

Patauio deinde diſcedẽs ad patrios lares reuerſus eſt ea mẽte (ni fallor) vt ibi diuinarum litterarum ſcientiam perciperet, vbi humaniores quoque didicerat, in quibus ita profecit, vt publice in comitiis prouinciæ noſtræ Piſtorii habitis non tantum eloquentiſſimam orationem ſed etiam eruditiſſimam diſputationem habuerit.

Mox Romę ampliſſimo Auguſtiniani ordinis præſuli à ſecretis aſſiſtẽs, ſcribęq; officio cum eſſet ſcriptor egregius integerrime functus, hoc tandem eſt aſſecutus, vt ſummi Pontificis authoritate, ac nutu (Quod paucis admodum contingere ſolet) in eorum numerum fuerit cooptatus, qui doctorum ſtemmatibus, publicisq; inſignibus decorantur.

Poteriam tũc ab inchoatiſt ſtudiis deſiſtere literarũ, ſed ne

tur-

[illegible] r ac ignauus, tunc maxime ce-
[illegible] audita ſacræ [illegible] ia contemplari, & hæbraicę linguæ addere etiam caldaicę. & arabicæ cognitionem.

Ex quo vobis oculata fide teſtari poſſum nullam extitiſſe linguam in qua diuinorum verborum fuerit veritas enarrata, cuius ſummus hic vir non habuerit claram, perſpicuanq; intelligentiam, quod facile conſtaret, ſi dictionarium caldaicum ab illo aſſiduis vigiliis laboribusq; compoſitum ob communem omnium illud idiomadiſcere cupientium vtilitatem imprimeretur.

Humanarum itaq; naturalium, moralium, cęleſtium, ac diuinarum rerũ ſcientiam, vel ſapientiam potius, & linguarum omnium, quarum extant aliqua ſacrę ſcripturæ monimenta perceperat.

Vnde cum prȩclariſſimus Ludouicus Madrutius tridentinus rubro inſignitus galero eximium quendam virum diuinę ſcripturę myſteriis valde peritum perquireret, vt ſibi tanquam aretalogus ſemper aſſiſteret, inuentus eſt hic vnus quaſi ſocius ſtudiorum eius, cuius doctrina ea decreta fuerunt patribus concilij tridentini propoſita, quæ à ceteris quoq; præſtantiſſimis viris ibidem commorantibus comprobata fuere.

Quo tempore (mirabile dictu) accidit, vt cum orator ſeptē pagorum, ſeu cantonum, vt vocant, quibus in oris heluetii habitant, atq; ſuęui de eſſet, nec tempus aliquod moræ obſtatam Iam dictamq; diem daretur, Magiſter Adamantius orator ex templo in tantorum patrum conſeſſu adeo ornate, & eleganter orauit, vt omnibus viris ibi aſtantibus, & dignitate aliqua eccleſiaſtica fulgentibus admirabilis videretur.

Illa autem oratio inter cæteras præſtantiſſimorum virorum tridentini concilij tempore habitas circunfertur impreſſa.

Erat ergo ſummus orator, & concionator egregius, quod ipſe oſtendidit, cum in multis ordinis noſtri cęnobiis, & alienis eccleſiis varias orationes, & cõciones ipſe habuerit, & aliis quoq; lucubrationes ſuas declamandas præſcripſerit.

Deberet etiã inter celeberrimos vates cõnumerari ſi Homeri poemata in ſtudioſorum gratiam latino carmine lepidiſſime ab eo trãſlata prælodarētur nec de eſſet florētinæ ciuitati ſuus

Homerus, ſi qua ſtudi[illegible] ſu
tio haberetur.

Mirum autem eſt quod op[illegible] illo tunc maxime fuit compoſitum cũ iſtius cœnobij nimi; anxiis curis retineret habenas.

Tunc etiam cenſu vnius prędij aucto ex varia bonorum exilium commutatione, ſtructuram quoq; clauſtrorum compleuit, quorum iam ille iecerat fundamenta qui vobis nunc (Optimi patres) ſecundo integerrimę prężeſt,& quæ à reliquis quoq; prioribus ipſo præfectis ædificata fuere.

Et ne talenta diuinitus tamquam ſeruus, neq̃; ſibi data celaret variis temporibus Valliſumbroſæ, patres omni veneratione digniſſimos docuit, & principes quoſdam iſtius inclytæ Vrbis, & Ianuenſium, & Senenſium ciues in diuerſis ſcientiis erudiuit, cum eſſet etiam in mathematum ſtudiis valde peritus. Hoc autem vobis facilecognitum eſſe poſſet, ſi quis veſtrum ſe ad Ianuenſium vrbem conferret.

Nam in aula domus optimi ciuis Stephani olim, nunc autem Paſchalis Sauli, totius Europę chorographiam adeo belle depinxit, vt coſmographi plures ad illam imitandam accederent, non ſecus ac ſoleant illi pictores, qui Antiquorum ſolent adamuſſim obſeruare, atq; elegantiores imitari picturas.

Aſtrorũ etiam curſus,& tempora norat,& ſydera notabat tacito labentia cælo ex quo Proclo, Arato, Cononi, & ipſi propemodum Ptolomeo iure potuiſſet æquari, aut ſaltem aliqua ratione conferri.

Tandem cum ingenti letitia ſubditorum fuit prouincię iſti præfectus, cuius adminiſtrandę tempus a maioribus noſtris ſtatutum explere nequiuit.

Nam ob præcipuam linguæ ſanctę intelligentiam Roma à quãplurimis cardinalibus accerſitus fuit, vt impiorum dogmatum peſtem auerteret, quę innumera propemodum in Hæbreorum codicibus abdita latent, vnde tam ingentia librorum volumina fuerunt ab illo compoſita, vt cum maximis diuerſarum ſcientiarum auctoribus, & interpretibus, etiam valeat comparari.

Sed incidit in ea tempora, in quibus ſummis vitutibus eius

nul-

.um ſuæ ætatis an

...euerat, ...m imponere potuerat.

Atq; ideo te ſupple... go, atq; obſecro (optime frater, quē dum in hoc atræ veſtis ſquallore intueor illū ipſum mihi videre nunc videor) vt homeri ſaltem poemata imprimenda cures, non ſolum ob perpetuā tui fratris memoriam, verum etiam ob communem omnium, qui vtriuſq; linguæ ſtudiis delectantur vtilitatem:

Sic enim illius defuncti perpetuo decus gloriaq; vigebit ſicut viuentis etiam fama fuit in extremis fere orbis terrarū partibus longe lateq; diffuſa.

Nam Poloniæ Rex illum tanquam amicum chariſſimum ſuis litteris ſalutauit vltroq: ſtipendium trecentorum nummorum aureorum obtulit, ſi Craccouiam, quæ Vrbs eius regni eſt præcipua ſedes prope viſtulam fluuium ſita, docendarum literarū hębraicarum cauſa ſe vellet conferre.

Sed veritus ille rigentis illius regionis algorem, pluriſq; faciens obſequium Romanę curię, gratias egit, & verbis nuncio Regiæ maieſtatis, & literis eidem regi ſignificans, ſe ita Pontifici maximo eſſe deuinctum, vt nulla ſibi pateret Roma diſcedendi facultas, neq; ad illas regiones penitus accedendi.

Frequentiſſimis enim aſſiduisq; occupationibus detinebatur, cum deberet conuentibus non nullis, quibus chriſtianæ rei publicæ præſides quidam præ erant quater in hebdomada qualibet intereſſe.

Præclariſſimus enim Iulius Sanctorius à Sancta Seuerina cū ctoſ hębreorum errores doctrinę Sacri Euāgelii auerſantes delere cupiens ex mandato ſummi Pontificis hunc vnum prętereris vnice diligebat, quem etiā voluit libros deliria hebreorū inſectantes componere. Præclariſſimi item Antonius caraffa, et & Guilermus ſirletus erudítiſſimi cardinales, ſatagētes, vt mēda omnia hęreticorum male imprimentiū, ac depreuantium, & adulterantiū vtriusq; teſtamenti doctrinā gręca editione vulgatā funditus tollerētur; illū ſuis ſēper ſacris cōuētibus, vel (ut vocant) cōgregationb⁹ adeſſe mirū immodū cupiebāt, cūq; gręci codices legerentur, ille volumē hębraicū pręmanibus tenēs,

ſi

doctrina loca illa t

Dũ autẽ inſtar. D. Hyeron [illegible] a interp. [illegible] lueret magna hebreorũ auctorũ, & [illegible] im tal mudiſtarũ, & commentariorum veteris teſtamenti voluminũ, aſſiduis vigiliarũ, & ſtudiorũ laboribus iã defeſſus, prima die inſtantis anni calendis v3 Iaunarij in febrem reumati iunctã incidit, ſeq; morti obnoxium eſſe cognoſcens, cuncta ſanctæ matris eccleſię Romanę ſacramenta à noſtræ ſalutis auctore inſtituta ingenti cũ deuotione ſuſcepit, ſicq; diuini verbi protectione munitus xvi. calen. Feb. quę dies feſta in honorẽ Diui Antonij ab vniuerſa eccleſia celebratur ſpiritum Deo reddidit, collacrymantibus omnibus ad quos fama virtutum ſuarum peruenerat,

Fuit enim D. P. Auguſtni veriſſimus imitator. Ille enim omnium ſui tẽporis hereticorum errores, hereſesq; deſtruxit hic autem omnium hebreorum peruerſa dogmata latentia prodidit, & niſi exceſſiſſet e vita funditus euertiſſet.

Quamobrem defleo eius obitum, non quod de ipſius ſalute deſperem, ſed quod ſim tanti, ac talis amici ſolatio deſtitutus.

Audiſtis itaq; (preſtantiſſimi auditores) R. Patrem Magiſt. Adamantium Ioannium Flor. extitiſſe vatẽ eximium, preclariſſimum oratorem dialecticũ, philoſophũq; egregium mathematicũ nõ vulgarẽ, theologũ celeberrimũ latine linguæ, græce, hebraicæ, & caldaicæ apprime, arabicę autem, ſeu ſyriacę non mediocriter eruditũ, pietate, ac benignitate prętãtẽ, ac tandẽ opt. Dei cultorem. Quo circa credendum eſt diuina bonitate illum eſſe perpetuo fruiturum. At ſiquæ illi de terenis cõtagijs, maculę adhęſiſſent, te ſupplex deprecor generis humani redẽptor, vt ſanguine, quem fudiſti illas abſtergas.

Tuq; ſanctiſſime Pater Auguſtine ſine quæſo te exorem vt animam illius cui iuſta nũc ſoluimus cętui ſanctorum illorum, qui tuę regulę pręcepta ſeruarunt tuis meritis, ac pręcibus facias aggregari. Rogo autem vos omnes (Reu. Patres) vt pia mẽte diuinę maieſtatis clementiam exoretis, vt ipſius manibus requiem, ac beatitudinem tribuat, per omnia ſecula ſec. Amen.

Dixi.

Cum Licentia Superiorum.

Z
1146.11

99 962220

D.

1136.11